




DES HEILIGEN ROMEISCHEN KAISERS





3 h



DISPUTATIO VIII.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE

IOANNE OLDEVVELDT
Frisio Nordano.

Ad 7. Novembr. hor. à 7. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellyvigii Bibliop. Anno 1607.





VIRIS AMPLISSIMIS,
& *consultissimis*

D. LVCAE BECKMAN
NO I.V.D. ET IN INCLYTA VVITE-
bergensi Academia Professore Publ. Scabina-
tus item & Electoralis Dicasterii Provin-
cialis Adfessori dignissimo.

ET

D. VITO VVINSHEI
MIO, GENEROSISS. DOMINO, D.
Ennoni Comiti Frisiae Orientalis, &c.
Domino suo clementiss. à consiliis

*Fautoribus, Promotoribus & Mæcenatibus
suis plurimum honorandis*

In debitæ observantiæ

τεκμήριον

Ἡοο γυμνασμο Philosophicis

Dedicat, Consecrat

Ioannes Oldevveldt

Frisius, A. & R.





QVÆSTIO I.

An tres tantum sint Syllogismorum figurae?



It est ἀθανάτων χρεῖμα ἢ ἀλήθεια, ut eleganter dixit Epictetus, si nullus suavior animo cibus est, quam cognitio veritatis, ut scitè admodum pronunciauit Lactantius: eam ipsam ut alias semper, sic nunc maxime, quantum quidem fieri potest, ut amplectamur, ut degustemus, necesse est.

Tres esse tantum syllogismorum figuras, ait Philosophorum Coriphaeus, Aristoteles, negat (Averrois sic credit in Notis Arnisaus, cum opera Logica Galeni interciderint) Medicorum princeps Galenus, tribus illis quartam adhuc superaddens. Hic licet quorundam plebejorum Doctorum nactus sit suffragium: ille tamen majori secum sentientium stipatus incedit agmine, cui etiam nosmetipsos non invite submittimus. Quod tamen non propterea factitamus, quasi autoritate potissimum hic militandum sit; sed quia Aristotelis ejusque ad seclarum sententia rationibus nititur longe firmissimis. Optumè inique in memoriam revocamus id, quod cum aliàs maxuma habet Philosophantium pars, tum potissimum Oratorum Aquila Cicero lib. 1. de nat. Deorum; non tam authoritatis in disputando, quam rationis momenta querenda esse. Quocirca quibus nos contra Galenum non numinibus sive nominibus, sed muniminibus sive rationibus quaerimus defenditare, despiciendum est.

Petuntur autem ista cum ex procedendi modo, tum ex terminorum dispositione. Ex procedendi modo ternarium figurarum numerum elicit Melancht. lib. 3. Dialect. his verbis: Alias utur à genere ad speciem, id fit in primâ figurâ: alias à specie ad genus, id fit in tertiâ: alias diversae species discernuntur, id fit in secundâ. Ex dispositione medii termini eundem hoc pacto demonstrat ex Aristotele & Zabarella, Crellius lib. 3. in parte comm. cap. 5. Medius terminus
A 2
vel

vel in utraque propositione & de utroque extremo predicatur, atque ita primum locum obtinet: vel in utraque, & utriusque extremo subicitur, tertiumque locum obtinet: vel in maiore & maiori extremo subicitur, in minore vero & de minore extremo predicatur, itaque positione medius est. Si primum locum obtinet, secunda figura: si tertium, tertia: si medium, prima exoritur.

4. At t̄ verò hunc probandi modum nobis Galenista, aut forte an Scotista (Scoto enim opinionem istam de quatuor figuris adscribit Ioan. Hospinianus) extemplo eripient, atque ex eodem suarum partium fulcrum quarent ac patrocinium. Hæc etenim dubio procul voce erumpent: Medius terminus vel utrobique predicatur, & oritur secunda: vel utrobique subicitur, & oritur tertia: vel in maiori subicitur, & in minori predicatur, & oritur prima: vel denique in minori subicitur, & in maiori predicatur, & oritur quarta figura. Ita adeo illorum vocem auribus quidem æquis accipimus; sed sciant interim, nostram istac vociferatione nequicquam labefactari sententiam. Quis namque, quantumvis alias nescius, nescit, Aristotelem totam ratiocinandi artem ex naturali extruxisse ratiocinatione? Considerare certè noluit, nec debuit, modum illum, qui contra naturam procedit; siquidem is nec iustus, nec legitimus, nec utilis. Iam autem quartam figuram contra naturam procedere, tam est manifestum, ut qui neget, ei ego sanum negem synciput. Annon enim, dum subjectum questionis predicatum fit in Syllogismo, predicatum vero subjectum, via procedendi naturalis apertissime in vertitur? Sanè dictum de omni & dictum de nullo, heic prorsus exulant; quandoquidem id, quod natura est supremum, locus ponitur inferiori, quod inferius, superiori, E. G. Omnis homo est animal, omne animal est corpus, Ergo quoddam corpus est homo. Hic corpus, quod quilibet intelligit, natura est supremum, homo inferius. Dictum itaque de omni requireret, ut corpori supremus etiam locus assignaretur, & esset major terminus, ideoque in primâ propositione predicaretur: homini vero locus inferior, & esset minor terminus, ideoque in secunda propositione subiceretur, atque adeo homo in eadem fieret subjectum, & corpus in conclusione predicatum.

5. Id t̄ quod voluit Averroes quando contra Galenum pronunciat, syllogismos tales esse debere, ut super eos cadat cogitatio naturalis, qua quia ut ex prædictis patet super quarta figura syllogismos (sed syllogismos

logismos? largimur tantum famelicis) minimè cadit, ex agro etiam
Logico prorsus ea est exterminanda ac eliminanda.

Adhuc & injustitia legem, testor Iureconsultos omnes, figura 6.
hac Medica gravissimè impingit, quando id quod minus est priori lo-
co ponitur, quod majus posteriori: vel quando quod minus, majorè
preponitur, quod majus minori postponitur. Neque enim temeraria
terminorum dispositio hic requiritur; sed justa, sed legitima, sed ar-
tificiosa. Proinde sic concludo: Cuicumque non competit definitio, ei-
dem nec definitum. Atqui Quartæ non competit figura definitio. Fi-
gura n. est terminorum extremorum & medi in dicendo & subjiciendo
per tria intervalla in trianguli modum continuatorum justa & legi-
tima dispositio. Ergo nec definitum. Plura si de hac controversia
desideras, confer Regium disput. Log. lib. 4. probl. 6. Crellium
loco supra citato, & in hunc Notas Arnisæi lit. γ.

QVÆSTIO II.

An tertia figura nempe in qua medium sub-
jicitur, sit prima figura, ut vult P. Ramus?

In & verborum multiloquio, ut prudenter monet D. Hierony-
mus, periclitatur veritas. Quin ergo omissis eorum phaleris contra P.
Ramus, ne Laconismum, cujus hic fuit studiosissimus, in nobis ejus-
dem desiderant complices, paucis quod res est expeditum damus, dicen-
tes, Aristotelem, optimum Methodi artificem, in ordine figurarum
constituendo non tam ad situm medi termini, quam ad evidentiam
& præstantiam concludendæ respexisse. Quia itaque primæ figuræ,
(quod nec ipsi Ramistæ, nisi forsitan sint Lunatici, ibunt inficias) ma-
jor est evidentia, imo major concludendi necessitas propter regulati-
va principia dictum de omni & de nullo; jure optimo huic etiam
primus assignatur locus.

Idem & facile obrinet illud, quod reliquæ figuræ ad primam tan-
quam perfectiorem, si de consequentiâ in illis ambigas, reducantur,
atque adeò prima sit quasi trutina, quâ examinentur imperfectiores.
Hinc Petri Petrinorumq; quicquid etiam de medi termini objectent
ordine, sententia penitus labascit atq; in fumum abit. Proinde nihil
hic morantes ad questionem tertiam recto statim pede progredimur.

QVÆSTIO III.

An eadem sint omnium Entium principia?

Qui recte distinguit, rectè etiam creditur docere. Vt enim confusio eruditæ mater cluet obscuritatis & ignorantia: ita distinctio perspicuitatis & cognitionis. Hinc cum *Versore* lib. 12. quæst. 2. distinguimus inter principia simpliciter prima, ut primum agens; & proxima, ut equus est proximum principium generationis equi. Hæc distinctione observatâ, ultrò exinde resultat, non omnium Entium esse eadem principia proxima, si ve de principis loquere intrinsecis, si ve extrinsecis. Neq; enim efficiens proximum, neq; forma, neq; materia est eadem omnium, etiam in artificialibus; aliud quippe principium est domus, aliud sanitatis &c. Negare autem non possumus eadem esse omnium principia prima externa, quod exinde patet, quia in moventibus devenimus tandem ad primum aliquod moventis, id quod causa itemq; finis est omnium aliorum. Quamquam καὶ ἀναλογία, eadem omnium esse principia, rectè dici potest, uti videris explicatum atq; animadvertum apud *Versorem* in loco prænominato.

QVÆSTIO IV.

An necesse sit esse aliquam primam substantiam, sempiternam & immobilem?

1. Adfirmationem † ambabus amplectimur manibus. Cum enim neq; in moventibus & motis, neq; in causis efficientibus essentialiter subordinatis progressio fiat in infinitum, necesse est, dari motorem primam, sempiternum, immobilem. Pertinacius si resistis, cape pluscula.
2. Si † prima causa, quam vix negaverit atheos, esset mobilis, vel motu moveretur locali, vel alio; non moveretur alio, puta alteratione, si namq; corruptioni foret obnoxius. Omne enim alterabile, ut tenet *Arist.* 1. de cælo, est corruptibile. Iam autem prima causa nequicquam corrumpitur, propterea, quia, uti expeditum reddit idem *Philosophus* 8. *Phyl.* primum mobile moveretur motu perpetuo, sed motus perpetuus non est nisi à motore perpetuo. Ergo &c. Id quod fortasse clarius probatur ex productione mundi de novo. Si enim is de novo est productus, ut certe est, ab aliquo sit productus ne esse est; Quandoquidem nihil se ducit de non esse ad esse. Sed jam producens iste aut etiam est productum,

aut

aut fuit ab aeterno. Hoc si dicis, habeo quod volo; illud si urges, iam progressum facis in infinitum, quod quam repugnet natura, tu nosti: ignorantem rectius puto plagis, quam rationibus convinci, prout Thersten Ulysses scipione castigabat. At vero, ut ad illud redeamus, nec motu movetur locali. Hoc enim si moveri debeat, motus erit circularis, quippe qui inter locales longè perfectissimus. Verùm prima causa non movetur circulariter, quia ita movet. Idem autem non movet & movetur eodem motu. Ergo sequitur, quod prima causa, ut est sempiterna, sic etiam sit immobilis.

QVÆSTIO V.

An aliquid possit moveri in instanti?

Motum & fieri successivè, temporis autem puncto neutiquam fieri posse, tam, opinor, est in aprico, quam cœlum, ubi maxumè est sudum. Si quis autem adeò rerum omnium est ignarus, ut de hoc addubitet, vel etiam, aliquid in instanti fieri posse, contendat, ei dubitationis scrupulum, erroris hydram hoc discupimus evulsam argumento: Omnis motus, cum sit actus in potentia, ut in potentia, est continuus, habetque prius & posterius, & ex suâ naturâ successionem vendicat. Atqui successio non potest dari in instanti. Ergo neq, motus.

Quod cui non suffecerit, poterit uti & illo Conimbricensium 2. altero: Sicut se habet mutatum esse ad instans, ita motus ad tempus. Ergo à commutata proportione sicut se habet mutatum esse ad tempus, ita motus ad instans: Sed mutatum esse necessario mensuratur instanti, nec potest mensurari tempore: Ergo motus necessariò mensurabitur tempore, nec poterit instanti mensurari, atq, adeò nec in instanti esse.

Sed enim & varia, quibus aliquibus suaderi queat contrarium, 3. hic video occini. 1. Quod in instanti cernitur, in instanti est: sed cum videmus corpus aliquod moveri loco, cernimus motum in instanti, siquidem visio est actio momentanea. Igitur motus est in instanti. 2. Cum res novam distantia relationem acquirit, actu movetur: Sed in quolibet momento corpus acquirit novam distantia relationem: cum in quolibet instanti magis distet à termino à quo & minus à termino ad quem. Ergo. &c. 3. Si maxumè concedatur, corpora in instanti non moveri, id tamen ipsum de substantiis immaterialibus concedi hautquaquam potest. His namq, nihil datur contrarium, à quo, quò minus in instanti queans

queant moveri, retardentur. Sic sol ubi primum sese exerit supra hori-
zonta, totum hemispharium uno illustrat momento, quippe qui lumen,
à quo impediatur, non habet contrarium. Et quæ sunt eiusdem furfu-
ris alia.

4. Verum † ut paucis me expediam: ad primum respondeo: Id quod
in instanti cernitur, in instanti esse, sed nos non cernere motum rei, seu
potius rem prout motui sub est, in instanti, nec eiusmodi visionem acti-
onem momentaneam esse: quemadmodum nec eam, quæ fixis oculis im-
motum lapidem aliquamdiu intuemur, Si nimirum momentaneum su-
matur propriè, hoc est, pro eo quod puncto temporis vel instanti durat,
& immediatè post e vanescit. Ad secundum: sicuti mobile non magis re-
sedit à termino à quo, nec magis accedit termino ad quem, nisi in tempo-
re: ita nec relationem majoris minoris vè distantie, nisi tempore, com-
parari. Ad tertium: Substantiis immaterialibus motum physicum dene-
gamus: Frustra igitur de illis quaritur an successive an verò in ins-
tanti moveantur. Lumen quoq, non movetur motu physico: quia sim-
pliciter ens reale non est, sed suo modo intentionale, quæ ratione immat-
erialis natura & affectio illi attribui potest. Plura, si placet, vide ap-
ud ipsos Conimb. lib. 6. phys. cap. 6. q. 1.

QVÆSTIO VI.

An indivisibile per se moveri possit?

Indivisibile duplex est: unum positionem in continuo habet,
alterum non habet. Non de hoc, sed de illo præsens agit Ζήτημα. Tale autem
temper se cieri cum Aristotele, Averroë, Ægidio, Alberto, Janduno
& aliis, quomodocunq, etiam contra insultet Duns Scotus, haut ire ve-
remur inficias. Sed enim ut jureconsultus sine lege loqui: ita sapientie
studiosus sine ratione quidquam erubescit statuere. Quamquam ergo
sententia nostra per se vera sit & perspicua: tamen, ne pudoris purpu-
ram exuisse videar, unicâ, quæ tamen ceterarum sit princeps omnium,
& qua observata facile excogitari possint plures, ratione erit stabili-
enda. Ea autem sic habet: Quicquid non movetur motu continuo, per
se non movetur: Motus enim natura est, ut sit continuus, quemadmo-
dum illud, disp. 4. quæ. 5. cent. 2. ex Arist. 4. phys. 4. t. 9. & 1. Me-
taph. cap. 13. t. 18. liquidò demonstratum est. Atqui indivisibile, teste
Philosopho

Philosopho, nequit moveri motu continuo. Ergo. In hac nos ratione tam diu acquiescimus, donec pro parte contraria validior adferatur & praestantior, id quod, meo iudicio, factu est impossibile.

QVÆSTIO VII.

An virtutes in animo separato maneant?

Virtutes † non esse in sensu, aut aliqua corporis potentia, quæ i. concidit, sed in animo rationis compote, qui à corpora separatus in perpetuum sine ullo essentia suæ lapsu subsistit; clamat ipse Veritas, & passim testantur philosophi. Manente ergo animo, manebunt virtutes; non tamen, ut rectè distinguit Thomas, secundum materiam, quippe non erit timor, non erit distributio rerum &c. sed secundum formam, quæ est & erit ordo rationis tendens in primam causam. Hinc erit in animo separato prudentia sine erroris metu, erit fortitudo sine timore mali, erit temperantia sine stimulis appetitus, erit sapientia sine ulla ignorantia mentis.

Sed † objicis: Virtutes ipsas, in animo à corpore sejuncto non 2. manere, sed tantum virtutum species, ac proinde hæc omiſsa limitatione sententiam nostram stare non posse. Sic sane. Illud si concederemus, hoc sequeretur indubitato. Respondeo autem non solum species virtutum, sed ipsum ordinem, in quo illarum forma cernitur & consistit, post mortem in animo elucere. Ne te hic fallam, dico ordinem esse duplicem: vel contemplationis ad subiectum, vel actionis ad objectam materiam: ille est per reflexum intellectus in seipsum, hic vero fit per motum & quasi transitum in rem externam: ille post hanc vitam manet, hic cum rebus caducis tollitur. Ex Joan. Caso lib 6. sp. Mor. in fine.

QVÆSTIO VIII.

An Ethnici saniores a deo fuerint demeritati, ut Deum esse unum ignoraverint?

Minimè gentium. Multi mercuriales argumentis perspicuis Dei unitatem ex professo defendunt. Quotusquæ, autem est, qui non aliquam unius, primi & summi Entis mentionem faciat? At verò D. os, in quibus, infinitos (ut ex eorum scriptis videre licet) introdu-
B xerunt.

nerunt. Ita est profecto. Non diffiteor. Sed anne propterea infinitos numero esse arbitrati sunt? Absit. Non dixerim. Vni enim infinito, cuius vim & potestatem per omnia diffusam animadvertebant, pro negotiorum, locorum & effectuum varietate, diversa dumtaxat imponerunt nomina. Tu, qui vis & vales, necesse est flecte aliter.

QVÆSTIO IX.

An mirum sit homines in tot diversa studia, in tot diversas distrahi sententias?

Haut † admiratione, si quid me iudice certum est, videtur dignum, quod

Diversos diversa juvant omni que palato

Non omnes sapiunt conveniunt que cibi
quod alius, ut habet Agellius primo Noct. Att. ait, hoc me primum doce, item alius: hoc volo discere, quod

— non omnes eadem mirantur amant que, quod denique

Carmine tu gaudes, hic delectatur Iambis,

Ille Bioneis sermonibus & sale nigro.

Haut, inquam, hac admiratione sunt digna. Ut enim quisque suam singularem habet mentem: sic quoque singulare mentis institutum. Et cum temperamenta non sint eadem, quomodo effectus eadem esse possunt?

Sic † quia iudicium non est æque excellens in hoc, atque in illo, non etiam eodem modo ad portum tendunt veritatis & sapientie. Unde quot capita, tot sensus; quot homines, tot sententiae. Ad hoc studiorum sententiarumque varietas saepe numero, praesertim in imbecillioribus, ex variâ promanat institutione ac informatione, ex adfectu, ex naturali propensione, iuxta illud; Naturæ sequitur semina quisque suæ, & aliis causis, quas ego brevitas causa omitto, & delicatioribus domi pensitandas relinquo.

Illud † tamen unicum silentio prætereire non possum, quod imparia dissimiliaque studia mortalium generi maxime etiam utilia videntur & necessaria; siquidem sine iis Respubl. alias qualitercunque constituta penitus corruunt & collabascunt. Non enim consistunt ex Medico & Medico, Verum ex Medico & Agricola, &c. ut tenet Arist. lib. 5. Eth. cap. 5.

QVÆ

QVÆSTIO X.

An princeps novus Antecessoris consilia-
rios debeat dimittere?

Ardua † res, inquit Melissus ille mellitissimus, & omni
Mole, quam collo fubeas, ponderosior, aquâ
Sustinere publicum
Cervice munus, proque luculentis
Rite focis & aris
Dexterâ curâ studium collocari tuendis,
Ne quid ingruat male
Fato sinistro

Sic regnare magnum arduumque esse opus, dicit Plato epist. 7. Unde
haut abs re exclamat Poeta:

Si scires quanti plenum Diadema pericli,
Malles Sisyphii ponderis esse reus.

Princeps ergo quo onus sustinet gravius, eò de mediis tanto onere
ferendo sublevandoque commodis debet prospicere diligentius. Inter
hac autem non est minimum, si Antecessoris sui, non accersitis novis,
utatur consiliariis. Hi enim cum jam noscant Rempub. civium mores,
ingenia & instituta, multa etiam Reipub. administrationi, civiumq;
gubernationi utilissima principem queunt docere.

Adde † quod mutatis consiliariis aut modum regiminis, leges, 2o
adeoque totam vivendi rationem mutatam iri opinentur subditi, aut
violentam libertatis oppressionem suspicentur. Suspicio autem isthac
quid possit, quasque sepiusculè acquirat vires, neminem, arbitror,
potest latere Hinc in Politicorum schola celebratur Ludovicus XI.
Gallorum rex, qui filio suo Carolo id dederat Consilium, ut veteres amicos,
familiares & ministros retineret.

Sed vero † non planè nullam nostra hac adsertio meretur exce- 3o
ptionem. Si enim præcessoris consilarii populo admodum sint invidi,
principem novum, novos, probos & expertos Consiliarios de-
bere adsciscere, ultro largimur cum Gentil.
s. Antimach. 3.


Finis disputationis octavæ.





AD CLARISS. D. PRÆSIDEM
Præceptorem suum:

NÆ quantum præclaro Academia clara Platoni
Debet, Aristoteli quantum, vir magne, Lyceum,
Et Stoa Zenoni quantum fortissima: tantum,
Ore licet tacito, tandem Viteberga fatetur
Se debere tibi. O livor nunc tu erigecristas,
Tu nunc, me nugas egisse, effarier aude.
Rupta pudoris erant frena, optuma pessuma dicta;
Sed nunc quemq; pudet, sed nunc ea frena resarcit
Quilibet, & censor quæ pessuma censuit ante,
Optuma nunc censet: Qui nil nisi temnere norat,
Deperit efflictim: sua qui dumtaxat amarat,
Nunc aliena probat. Quis tam varium esse palatum
Cuiq; virum credat? Vires rursus exere livor,
Pectore lymphato, larvatis surge labellis,
Et crepitante novo quid possis, despice, flabro.

Respondens.







3 h

DISPUTATIO VIII.
 Centuriæ tertiæ
**QVÆSTIONVM
 ILLVSTRIVM**
 PHILOSOPHI-
 CARVM
*In Inclytâ VVittebergensi Academia
 Proposita:*
 PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
 LOGICES PROFESS.
 Publ.
 RESPONDENTE
IOANNE OLDEVVELDT
 Frisio Nordano.
*Ad 7. Novembr. hor. à 7. matutinis in Auditorio Col-
 legii veteris.*
 VVITTEBERGAE
 Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
 Pauli Hellyvigii Bibliop. Anno 1607.

